

PRAEFATIO

TEXTVM Vergili traditum si quis vel strictim percurrit omnino egregium esse et sensum vel perraro vel nusquam corruptum confiteatur necesse est; eam autem optimorum codicum indolem esse animadvertet ut, si ad eorum auctoritatem solum spectet, in tanta lectionum varietate haud facile diiudicet quam cui praeferat. quamvis enim (ut monet Madvig) studiosissime et severissime describerentur eorum scriptorum codices qui rectae et elegantis orationis auctores et prope regulae ipsae habebantur et in scholis tractabantur, quo in numero censendus est poeta noster, proprias tamen poenas is dat qui per ora virum volitare vult: dum enim sensus fere integer et citra corruptionem servatur, hominibus interim humile oculorum munus elevantibus, et ex memoria parum accurate vel describentibus vel laudantibus, verborum absolutio et subtilitas paulatim deminuuntur et omne genus immutationis sensim inrepat. ipsa autem Vergili indoles, sermonis et rei metricae novatrix, interpolatoribus et sciolis ansam ita praebuit ut, vitia luce (ut videntur) clariora corrigere studentes, floribus Musarum delicatissimis saepius insultaverint. accedit quod ipse vitae spatiis exclusus iniquis carmina sua non absolvit, sed multos reliquit locos qui editoribus Tuccae et Vario curandi essent, multos etiam quibus nulla nisi poetae manus veram medelam adhibere posset. quo factum est ut paulo post ipsius